Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

nem permotus. et quia plenum officium canta-
do et legendo cum fratribus frequentare non potuit.
cum ne penitus vacaret. cum custodibus ecclesie mini-
strare precepit. Tempore autem Adilini nostri presulis.
post miserabile incendium nostri monasterii. dum
idem frater infra festivos dies nativitatis domini
quadam vespera in scolis cum pueris sermocinando
consedit. subita cecitate miserabiliter percussus
cecidit. et alia etiam infirmitate crescente tempore
longo decubuit. Quadragesimali vero tem-
pore cecitate durante ex infirmitate convaluit.
et ecclesiam debito more frequentans. ad pontifi-
cale sepulchrum spe sanandi sepius prostratus pro-
cubuit. Et contigit quadam feria ante pascha
certe in kalendis aprilis. quando celebramus reli-
quiarum adventum sanctorum cantianorum martirum.
dum in matutinis ibidem procumberet. illico quasi
prurientem dextro oculo. et durius manu confri-
cato. sanguis non modicus prorupit. et stati(m)
in eodem oculo visum recepit. Pro qua clementia
divina pietas ab omnibus in commune laudabatur.
et pro reliquo solita miserationis domini potencia
expectabatur. Post pascha vero in anniversa-
rio die sancti patris nostri. cum eius memoria missa
pro defunctis ab episcopo celebrata est. tempore
oblacionum coram clero et populo quasi infirmatus
corruit. et prorumpente illico sanguine ex oculis
et naribus. et etiam auribus apto oculo visum liquido
percepit. Missali denique officio peracto. episcopus ha-
bito sermone clerum et populum ad laudes debitas
deo persolvendas ammonuit. et pro filiis unanimi-
ter lacrimis deum pariter et ipse laudavit. Qui fra-
ter eodem monito deo gratias penitus convaluit. et
post hec in promissa professione usque in fine fideli-
ter permansit.

D. ii Non. Maii

Plurima quoque beati pasto-
ris nostri patrocinia. ea solummodo quam pre-
misimus ratione preterimus. que per divinam cle-
mentiam ab inicio usque adhuc gloriose fie-
ri sepius sentimus. Nec tamen illud reticebimus.
quod tota sancta dei ecclesia teste verum esse novimus.
quia plures plerumque ad sepulchrum eius cum
oblacionibus gaudentes adveniunt. qui sese
suosque a variis tribulacionibus vel infirmitati-
bus celeri subvencione per virtutum eius meri-
ta liberatos publice referunt. Namque ut alicui
aliquid incommoditatis vel molestie occurrerit.
statim cum ad sancti huius patris memoriam. vel absens
oblacionis sue votum ubicumque promiserit. procul
dubio eodem momento quamcumque consolacionem in ve-
ra fide sperans obsecrat. eam celerius meritis
eius suffragantibus impetrat.

De sancto Iohanne ante portam latinam

Nativitas sancti Iohannis apostoli
ante portam latinam. scilicet a persecuci-
one domiciani. quam ipse post ne-
ronem exercuit. ad urbem romam
productus. presente senatu ante
portam latinam in ferventis olei dolium missus
est. sed beatus apostolus tam liber a pena inde exivit.
quam a corrupcionibus carnis fuerat immunis.
Tunc in pathmos insulam relegatus est exilio. ubi
apokalipsim vidit. Ad commendandam ergo ipsius
dignam memoriam. et pro fidei apostolice constancia
christianam ecclesiam veneracione eius gestantem.
du[...] in supradicto loco ante portam latinam preclaro
ad[...] et miro opere construxerunt. ubi festivum con-
ve[...] cursum pridie nonas maii usque hodie faciunt.

De eodem

Iohannes apostolus et evangelista filius
zebedei. frater iacobi. virgo est electus a
domino. atque inter ceteros magis dilectus.
qui etiam super pectus magistri recumbens.
evangelii fluenta de ipso sacro dominici
pectoris fonte potavit. et quasi unum
de paradisi fluminibus verbi dei gratiam in toto
terrarum orbe diffudit. quique in loco christi christo
iubente successit. dum suscipiens matrem ma-
gistri discipulus. par post christum alter quodam-
modo derelictus est filius. Hic dum evangelium christi
in asia predicaret. a domiciano cesare in pathmos
insulam metallo relegatur. ubi etiam positus a-
pokalipsim scripsit. Interfecto autem a senatu do-